

ciliam Italiae, Cyprum Syriæ, Eubæam Bœotia, Eubææ Atalantem & Macrin, Besbycum Bithyniæ, Leucosiam Syrenum promontorio.

Quæ insulæ cōtinēti adiunçte, CAP. LXXXIX.

Rursus abstulit insulas mari, iunxitq; terris: Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnasso, Aethusam Myndo, Dromiscon & Pernen Miletō, Narthecusam Parthenio promontorio. Hybanda quondā insula Ionie cc. nunc à mari abest stadiis. Syriten Ephesus in mediterranea habet, Derasidas et Sophoniam vicina ei Magnesia. Epidaurus & Oricū insulæ esse desierunt.

Quæ terræ in totū mari permutatæ. CAP. XC.

In totum abstulit terras, primum omnium vbi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio, Mox interno, * quæ videmus hodie, mer sam Acarnaniam Ambracio sinu, Achaiam Corinthio, Europam Asiāq; Propontide & Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrhium, Hellepontum, Bosphoros duos.

Quæ terræ ipsæ se forbuerunt. CAP. XCI.

Atq; vt sinus & stagna præteream, ipsa se condens terra deuorauit Cybotum altissimū montem, cū oppido Curite, Sipylum in Magnesia: & prius in eodē loco clarissimā urbem quæ Tantalus vocabatur. Galanis & Gamales urbium in Phœnice agros cum ipsis: Phœgium Aethiopiæ iugum excelssimum, tanquam non insida grassarentur & littora.

Quæ vrbes haustæ sint à mari. CAP. XCII.

Prrham & Antissam circa Mæotin pontus abstulit, Elicem & Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia apparent. Ex insula Cea amplius triginta milia passuum abrupta subito, cum plurimis mortalium rapuit. Et in Sicilia dimidiam Tyn-darida urbem, ac quicquid ab Italia deest. Similiter in Bœotia & Eleusina.

De miraculis terrarum. CAP. XCIII.

Motus enim terræ silēatur, & quicquid est, vbi saltem busta urbium extant: simul vt terræ miracula potius dicamus, q̄ scelera naturæ. Et Hercule nō cœlestia enarratu difficiliora fuerint. Metallorū opulentia tam uaria, tam diues, tam secunda, tot seculis suboriens: cum tantū quotidie orbe toto populentur ignes, ruina, naufragia, bella, fraudes, tantum vero luxuria & tot mortales conterant: gemmarum pictura tam multiplex, lapidum tam discolorum macula, interq; eos candor alicuius, præter lucem omnia excludens: medicatorum fontium vis: ignium tot locis emicantium perpetua tot seculis incendia: spiritus letales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucris tantum, vt Soracte vicino vrbi tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus: nonnunquam & homini, vt in Sinuessano agro & Puteolano: spiracula vocant, alij Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. Item in Hirpinis Ansanctis, ad Mephitis adem locum, quem qui intra-

uere moriuntur. Simili modo Hierapoli in Asia, Matris tantū magna sacerdoti innoxium. Alibi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinnunt, vt Delphis, nobilissimo oraculo. Quibus in rebus quid possit aliud causæ afferre mortalium quispia, quàm diffusæ per omne naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens?

De terris semper trementibus. CAP. XCIII.

Quæ adā vero terræ ad īgressus tremūt, sicut in Gabiēs agro, nō pcul vrbe Roma, iugera ferme ducēta, equitātū cursu: silr in Reatino.

De insulis semper fluctuantibus. CAP. XCV.

Quæ adā insulæ semper fluctuāt, sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutiensis, Statoniensis. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca sylua, quæ nunquā die ac noctu eodē loco visitur: In Lydia quæ vocantur Calamina, non ventis solum, sed etiā contis quo libeat impulsæ, multorū ciuium Mithridatico bello salus. Sunt & in Nymphæo parues, saltuare dictæ, quoniā in symphonia cantu ad īctus modulantium pedum mouētur. In Tarquiniensi lacu magno Italiae duæ nemora circūferuntur, nunc triquetram figurā edentes, nunc rotūdā complexu, ventis impellentibus, quadratam nunquam.

Quibus in terris non pluat: & acruata terrarum miracula, & ceterorū elemētorū. CAP. XCVI.

Celebre sanum habet Veneris Paphos, in cuius quandā aream nō impluit. Item in Nea oppido Troadis circa simulacrū Mineruæ. In eodē & relicta sacrificia nō putrescunt. Iuxta Harpasa oppidū Asia, cautes stat horrenda, vno digito mobilis: eadem si toto corpore impellatur, resistens. In Tauro-rum peninsula in ciuitate * Parasino terra est, qua sanantur omnia vulnera. At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: Sarcophagus vocatur. Duo sunt mōtes iuxta flumē Indum, alteri natura est vt ferrum omne teneat, alteri vt respuat. Itaq; si sint clauis in calceamēto, vestigia auelli in altero nō posse, in altero sisti. Locris & Crotone pestilentia nunquam fuisse, nec vllō terræ motu laboratū annotatū est. In Lycia vero semp à terræ motu xl. dies serenos esse. In agro Ardano frumentum satum non nascitur. Ad aras Murtias in veiente, & apud Tusculanum, & in sylua Ciminia loca sunt in quibus in terram depacta non extrahuntur. In Crustumino natum fennum ibi noxium, extra salubre est.

Qua ratione estus maris accedant & recedant:

& vbi iidem extra rationem. CAP. XCVII.

Et de aquarum natura complura dicta sunt: sed estus maris accedere & reciprocare, maxime mirū: pluribus quidē modis, verū causa in sole lunaq;: Bis inter duos exortus lune affluunt, bisq; remeant, vicenis quaternisq; semper horis. Et primum attollente se cum ea mundo intumescens, mox à meridiano celi fastigio vergente in occasum residentes: rursusq; ab occasu subter celi ima, & meridiano

b 4 contraria

* quo

* Characena